

The Electronic *Manipulus florum*  
[www.manipulusflorum.com](http://www.manipulusflorum.com)

Deus x  
cum fonte primo

Dominus nec splene ridet, nec uultu subsannat.

Ira ergo Dei uocatur retribucio peccatorum.  
Nam motus diuinitas beata non patitur  
que semper eadem eterna atque immobilis perseuerat.  
Sed ista conuersio humane conuenit fragilitati  
ut de leto quis tristis, de placato iracundus,  
de beniuolo reddatur offensus.

Cassiodorus super illud Psalmi II.:  
Tunc loquetur ad eos in ira sua.

Ceterum Dominus nec splene ridet, nec uultu subsannat,  
sed uirtute sua spiritaliter peragit quaecumque disponit.  
Haec figura graece dicitur metonymia,  
latine transnominatio quoties intellectum rei diuersis modis,  
uerbis alienis ac translatitiis indicamus.  
Iuste igitur propheta iudeorum perfidiam asserit irridendam,  
qui falsos testes contra ueritatem adducere tentauerunt,  
qui Dominum gloriae crucifigere maluerunt,  
qui resurrectri omnipotentis Christi stulte sepulcri  
receptacula signauerunt.  
Tantae siquidem scelerum moles contra potentiam Domini  
dementer atque inaniter probantur assumptae.  
*Tunc loquetur ad eos in ira sua et in furore suo conturbabit eos.*  
Sed ne irridendos tantum impios putaremus,  
nunc eos grauiter commemorat arguendos.  
Ira uero et furor similia sunt uerba praecedentibus.  
Nam Deus et cum tranquillitate iudicat et seruata pietate conturbat,  
non in malos motu aliquo surgente candescens,  
sed ab eis suae gratiae momenta suspendens.  
Ira ergo Dei uocatur retributio peccatorum,  
nam motus diuinitas beata non patitur,  
que semper eadem aeterna atque immobilis perseuerat.  
Sed ista conuersio humanae conuenit fragilitati,  
ut de laeto quis tristis, de placato iracundus,  
de beneuolo reddatur offensus.

Aurelius Cassiodorus, *Expositio Psalmorum*, 2.5-6  
(CCSL 97, M. Adriaen ed., pp.42-3, ll.122-143).